

Clarissime vir. Compatior ex animo tribulationibus tuis, et primo quoque tempore dabo operam, ut aliquid subsidii ad te mittatur, cum literas tuas cum Sanctissimo Patre nostro, et Illustrissimis aliquot cardinalibus communicavero. Filium quoque tuum in collegium Germanicum admitti curabo, quamvis leges collegii repugnare videantur, quippe quae requirunt, ut nullus admittatur, nisi antea, plena informatione de qualitatibus requisitis huc transmissa, veniendi facultatem acceperit. Cupio autem, ut iuxta verbum sancti Iacobi, omne gaudium existimes, cum in tentationes varias incideris, sciens quod probatio tuae fidei patientiam operatur, patientia vero opus perfectum habet. Quis scit, an Deus ideo permiserit, ut post schisma, atque haeresim in pauperiem, atque angustias rei familiaris incideres, ne hostes fidei iactarent, te non propter agnitam veritatem, sed emolumentum temporalis gratia ad fidem catholicam esse conversum? Cogita igitur tibi quoque à Mose dictum esse: Tentat te Dominus Deus tuus, ut palam fiat, an diligas eum ex toto corde tuo. Nolo esse longior, neque possem, etiam si vellem, cum instet hora mittendi literas ad cursorem. Vale mei memor in precibus tuis. Datum Romae die 7 junii 1608.

Tuus in Christo fidelis amicus, ac veluti frater

Robertus Card^{lis} Bellarminus.

D. Joannes Crollius, Confluentiam.